

## Franckesche Stiftungen zu Halle

**D. Io. Georgii Liebknecht Mathem. In Vniversitate  
Lvdoviciana P.P. Nec Non Societ. Caesar. Et Regiae  
Porvss. Collegae Vberior Stellae Lvdovicianæ ...**

**Liebknecht, Johann Georg**

**Gissae, MDCCXXIII.**

**VD18 13131125**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))


### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-203077](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-203077)



130 B:5

21. [20]  
D. IO. GEORGII LIEBKNECHT

MATHEM. IN VNIVERSITATE LVDOVICIANA P. P. NEC  
NON SOCIET. CAESAR. ET REGIAE PORVSS. COLLEGAE

VBERIOR

STELLAE  
LVDOVICIANÆ  
NOVITER DETECTAE

ET CVM NVPER

*SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS*

DN. LVDOV. IOH. GVIL.  
GRVNO

LANDGRAVIVS HASSIAE, PRINCEPS HERSFELD.

COMES IN CATTIMELIBOCO &c. &c.

*DOMINVS MEVS CLEMENTISSIMVS*

LVDOVICIANAE

RECTOR MAGNIFICENTISSIMVS

SCEPTRA CLEMENTISSIME SVSCIPERET

PVBLICATAE

CONSIDERATIO

NONNVLLORVM DVBIIS ET INIQVIS PRAESERTIM  
SCOMMATIBVS

LVDOV. PHILIP. THVMMIGII

INTER HALLENSES A. O. P. NOVI CIVISDAM RERVM NA.

TVRALIVM TENTATORIS

OPPOSITA.

---

*GISSAE, LITTERIS IOANNIS MÜLLERI, clb Idcc XXIII.*

## RECTE NON NEMO:

*Vt in via publica proficiscentibus nil cane rabido periculosius est: ita & tali cane & lupis peiores existunt omnes, qui in Astronomia, indies noua & magis certa promittente, aliorum labores scommatibus & rixis exercent, quas tamen & suo tempore PTOLEMÆVS, TYCHO, KEPLERVS, HEVELIVS &c. & nos hodie toties experimur, quoties NOVI QUID IN COELO VISVM indicamus, sicque Dei omnipotentis honorem & Astronomiæ cultum respicimus.*



It omnino nostro tempore, quemadmodum  
 suo olim REGIOMONTANVS conquestus  
 est, imo & TYCHO in Progym. libr. 1. *de stella  
 nova* p. 305. vt plurimi illorum, qui aliquo  
 siue naturæ ductu, siue institutione aut pro-  
 fessione, qua victum acquirunt, sic exigente,  
 Astronomiam exercent, hanc non in cœlo ipso, uti par  
 erat, administrant, sed ex pagellis quibusdam, tabulis atque  
 figuris sub tecto degentes, intueantur, satisque exinde se suo  
 officio functos autument. Et tales ut plurimum sub tugurio &  
 vaporario prope fornacem obseruantes astronomi, non nisi comple-  
 tis quasi aliarum doctrinarum theoriis tumidi, in museis suis ocu-  
 lati tantum sunt, & nullibi magis vigilantes, quam in recensendis  
 aliorum obseruationibus, vt etiam noui aliquid protulisse videan-  
 tur: & quia præ affectuum tumore aut segnitie non statim alio-  
 rum sensa intelligunt, in his tantum carpendis, extenuandis &  
 vigilantissimi & loquacissimi sunt. Equidem dubitare de rebus  
 nouis & incognitis antea, licebit, dubia etiam publice proferre  
 iuuabit,

iuuabit, vt nempe veritas magis elucescat; modo verbis absint rixæ inanes, scommata & minus conuenientes historiolarum recensiones: quæ nil citius, quam animos turbant, nil certius, quam hos & veritatem ipsam retinent, & hanc cum tempore omnem destruunt.

Vt apertius dicam, iam ante annos ferme sedecim, quos in Vniuersitate hac Mathematicum Professor ordinarius compleui, cum eruditissimis æui nostri astronomis de diuersis cœli materiis atque aliis agere cœpi, & nuper demum de stella quadam intermedia Alcor, & temonis ibidem, quam d. 2. Decembr. an. superioris primum vidi, & ob alias circumstantias in tam exiguo firmamenti spaciolo consideraui. Et sicuti ferebat occasio, eandem in Serenissimi iuuentutis Principis Hasso Homburgensis LVDOVICI, Principis Clementissimi, tunc studiorum causa, præsertim mathematicorum, quæ una cum Serenissimo FRA-TRE me duce perauide tractabat, heic commorantis & Rectoris Magnificentissimi munus in LVDOVICIANA, nostra suscipientis honorem deuoto animo publicauit, inque Epistola gratulatoria stellam ideo LVDOVICIANAM vocaui, cuius titulus: Sidus boreale stella nouiter detecta stipatum, impress. Giessæ clō Io XXI II. Vbi tamen nec temeritatis notam mihi deprecandam existimaui, aut ostentationis inde fortassis capiendæ publicationem, tum suscepi, aut declarationem eius tum iam suscipio. Potius istius primarius scopus mihi propositus hic fuit, vt quoad distantiam Alcor & mediæ Temonis de doctiorum in arte virorum sententiis fierem certior, quam *Heuclius* olim magnus Astronomus putauit = 9, 8. & ego semper iusto breuiorem reputaui. Debet enim hæc mutua distantia ex differentia Longitudinum vtiusque stellæ & Latitudinis ipsa Heucliana esse = 11, 8; qua in re consentientem agnosco Dn. ZVMBACHIVM a Koesfeld Cassellanum Astronomum & amicum meum æstumatissimum; licet adhuc duobus secundis

meam

meam sententiam superet, vti ipse in litteris d. 23. Febr. an. curr. ad me datis testatur. Quis igitur epistolæ de LVDOVICIANA stella publicatæ vberiore declarationem non probet? Quis cunctantem scribendi rationem in præsentis eius indicato scopo non cogitet? vbi probatissimum alias in arte HEVELIVM carpere solus nolui, nec ante, quam aliorum sententias per præliminarem hanc epistolam, Astronomis ideo hodie præcipuis transmissam, vberius cognoscerem, meam ipsam sententiam publicare volui.

Sed quæ scientiarum fata! quanta hominum impudentia est! qui vel prius contradicendi contrariandique rabiem produnt, quam aliorum labores & scopum penitus intuentur, & hanc vt facilius prodere queant, non nisi detortis verbis, deridiculis historiis, histrionum more, sophisticis argumentis plus veluti quam magicis adiurationibus, ceu GALILEVS ad KEPLERUM in eadem fere materia loqui amat, veritatem turbare audent, vtut LVDOVICIANAM stellam nec in firmamento delere, nec solo deturbare risu stolido valeant. Audiamus exemplum in *Ludovici Philippi Thummigii*, qui se Adiunctum Hallensem probare vult, tentamine r. natur. Part. III. pag. 234. sed qua fide & veritatis specie meam ibi epistolam tentauerit, quibus verbis & argumentis LVDOVICIANAM, quam ita detectam nunc ipse videt, denuo, more delirantium inumbrare audet, breuibus tantum positionibus audiamus: quia veritatem longioribus defendere verbis tam inconueniens est, quam otiosis magistris illam interturbare persacile videtur. Nihilominus tacuissim hæc talia, probe sciis, quantum ab Astronomis remotæ esse debeant rixæ, & quam periculosa scientiis sint, vti ipse iniquissimus tentator in præfatione dicit, wie durch frühzeitiges Tadeln die scientiæ nicht erweckert werden. Insuper ibi vocat tales censores Stümper / Bindmacher & pag. 97. niederträchtige Gemüther / die andere durch einigen Flecken verdunkeln wollen / unde generatim quilibet istius censoris infidum in me

animum agnosceret; hæc inquam, nihilominus tacuiffem, nisi me tacentem adorsus rabie, plusquam lupina adhuc fallaciæ, erroris &c. in Erudit. Actis publicis p. 323. quali vero rem alibi demonstratam dedisset, inculandum admisisset.

Sed quæso I. hæc qualis fallacia est? ego superiori anno stellam quandam in loco firmamenti minimo, inter fixas existentem vidi, quam nec ego antea, toties viciniorum stellarum, uti dixi, distantias examinans, nec *Thummig* iste olim, nec alius quispiam, quantum sciam, vidit; eamquoque, quantum, potui meis distantiarum commensurandarum vlibus adhibui, & sic nouiter detectam nouo nomine, vt nempe alii possent eo melius illam & commodius distinguere &c. vocaui, qualis hæc fallacia est? E contra nouus Hallensium Cenfor stellam LVDOVICIANAM nunc videt, vtut eius usum nondum videat satis, & præsertim verba mea latina in Epistolæ titulo, clare proposita, dubio procul intelligit; sed aliter germanice profert, i. e. *nouiter detectam* stellam simpliciter *nouam* vocat; & quia prius ipsi credo, ideo hunc iniquum censorem posterius in simul fallacissimum Sophistam facit, & quia suas in subsequens fallacias ex semel adsumto hoc falso stellæ conceptu deducere solet, quam clarissime talem facit, id quod primum erat demonstrandum.

II. Nemo vel ex primis Astronomiæ tyronibus ignorat *Antonium Mariam Schyrlæum de Rheita* ex sola æmulatione, inclarescendique pruritu nouas stellas circa iouem voluisse publicare, quas sidera Vrbanoctauiana vocauit, quo vero successu, id in Epist. mea p. 15. indicaui. Sic olim tales stellas in regione *orbis* tantum *magni* quæsitauit Schyrlæus, & *firmamenti* nouas illarum loco agnouit; quare absurde egit. Quid Sophista? historiam de nouis stellis *magni orbis* agentem, nouæ cuidam stellæ *firmamenti* adplicat, & sic peræque cum Schyrlæo absurdum committit, imo nemine negante absurdissimum. Nec est, vt me

erroris

erroris denuo inculset tyro Hallensis, si heic inter nouas stellas *magni orbis*, & *firamenti* distinctionem sisto: nam loquitur ita astronomico stilo BORELLVS de vero Teles. inuent. C. xv. ita alii loquuntur. Interea si iste pratumidus *Thummig* non tyro vult vocari in Astronomia, certe erit histrio, qui eiusmodi historiola lectoribus voluit risum commouere, vt subsequencia ludibriosa eo attentius legant, vel saltem prudentiam istius omnino sophisticam nunc histrionicam certo cognoscant.

III. Fatetur hic cum Cl. WEIDLERO, Witteberg. P.P. quem ob eruditionem mathematicam & virtutes alias valde amaui, fatentur omnes se LVDOVICIANAM post meam detectionem vidisse, eccur solus Hallensium dictator iuuenis stellam tam scabiose prædicat? dicens in titulo *den der D. Liebknecht erfunden haben will* / aut venditat &c. Certo noua fallacia subesse videtur: nam hominis eo delirat audacia, ut aliis alibi passim præscribat, quid inuenire adhuc debeant in scientiis, at vero quid nobis ipsa sidera velint aut debeant reuelare in posterum, eccur non æque præscribit? quid si Halæ Magdeburgicæ s. Venetorum fuisset primitus visa? tunc sane titulus, & quid plus? potuisset stare: lubens etiam ipsi detectionis gloriolam concessissem, quam tamen supra vanam exposui. Audaciam quoque prægrandis ignorantia, vel potius deridicula oscitantia auget, si LVDOVICIANAE nomen in Actis l. c. & in tentamine pag. 240 a Serenissimo Academiae Gieffensis NVTRITORE, DOMINO MEO Clementissimo ita uocatum contra clarissima Epistolæ meæ verba, & alibi posita fingit.

IV. Interea dico hominem de industria & ex impudentia maxima *nouiter a me detectam* stellam simpliciter nouam dictitasse: nam scire aliunde oportuit iuxta cum ignorantissimis in Astronomia, *nouiter detectam* stellam, & *fixam*, & *mobilem* posse comprehendere

hendere. Quid? si cum Celeberr. WOLFFIO amico meo  
huc usque æstimatissimo in Elem. Astro. pag. 595 de natura stel-  
larum nouarum nil assererem, ceu quidem omnino per tot sæcu-  
lorum decursum nil certi potuerunt alii asserere? tantum abest,  
vt ego de isthac stellula, in tam exiguo spatiolo existente, & mi-  
hi intra vnus solum mensis spatium tunc visa, certi quid asse-  
rere potuerim, vt tutius *generali nouiter detecta* titulo dimise-  
rim? Præsertim cum mihi nondum constiterit, vtrum hanc  
etiam alii Viri Astronomi olim perceperint. Vbi si contradi-  
centes talem quendam sciuisent, modo sciuisent! omnino ma-  
iusculis litteris adposuissent. Quare nemo saltem meam epi-  
stolam meamue scribendi rationem insimulabit imprudentiæ; e  
contra nemo non Cauillatorem meum Hallensem, qui, vt in  
proverbio est, conf. STRAVCHII Astrognoſia pag. 64. ne forte un-  
quam *plenam lunam* vidit, & tamen *Alcor* imo quid plus isthoc? *vi-  
disse* dicit, i. e. res cœli minimas suo ingenio æstimare, meaque in his  
tam generaliter posita verba torquere, & suo rem omnem dictato-  
rio modulo emetiri audet, nonne iuuenilis hæc & impudentissima  
audacia est?

V. Verum vti ego hæc generali adpellatione LVDOVI-  
CIANAM, inter fixas nouiter detectam, non æque numero fixa-  
rum excludo, nec vel ob rationes motus, de quo infra, tantum  
non problematice propositas etiamnum excludere potui: ita  
cauillator stellam nouo, & graco scilicet nomine, vt forte  
sapere idiotis videatur, Telescopicam vocat. Quasi vero stel-  
læ non nisi telescopiis maioribus & Anglicanis, quale autor ha-  
buisse dicit, visæ alius indolis sint, & homo, eminus tubo con-  
spectus, non æque homo sit? aut vermes aut res aliæ ab authore  
in tentamine suo pag. 132. microscopii ope inspectæ; res tan-  
tum & vermes microscopici sint? Quid si mihi cauillator d. 14.  
Martii & d. 24. Aug. adfuisset? næ illi tunc potuisssem LVDOVI-  
CIA-

CIANAM perspectiuulo quodam, vix tres digitos longo conspicuam dare, sicuti compluribus dedi, sed rideat cum suis derisor, donec ipse sapiat. Imo si plane myops non est, videbit omnino noctibus admodum sudis, etiam nudis oculis quasi nebulam mediae temonis adhaerentem, ceu d. 24. August. nonnulli ex auditoribus, & alii fide digni hanc mihi, vix talem cogitanti, commonstrarunt.

VI. Interea si instat rixarum amator me accusando, bis in Epistola pag. 9. & toties pag. 12. LVDOVICIANAM vocitasse nouam; iterum velim, vt titulum respiciat, & vt vocabulum *nouam*, nouiter detectam &c. opponat *antiquitus nota*, e. g. Alcor. Si vero hoc displiceat, quæro ex polyhistore admodum recenti: annon *stella fixa*, vtut mere telescopica, ab vilo Astronomo stellæ nouæ dicantur? negat id dictator. §. VII. p. 241. in tentamine suo dicens: *Niemand hat jemahls die fixas telescopicas neue Sterne genannt* &c. Vnde constat, autorem, astronomum nouum, ne quidem GALILEI *nuncium fidereum* legisse, vbi p. m. 31. in constellatione *Pleiadum*, Tauri, & in nebulosa *Præsepe* &c. fixas telescopio suo visas, expresse *novas* vocat, cui nec *montes in luna* heic, nec alibi summo Astronomo dicti fuerunt Telescopici; nunquam forte IO. KEPLERI Astronomi maximi examen præfaminis PENAE legit, alias prorsus haberem mecum Adiunctum istum consentientem, manente nihilo secius in Astronomicis doctrinis fixas inter & nouas posit. IV. distinctione. Et sane idiota prorsus aliter locutus fuisset, vt complures auctores alios taceam, si PETRI BORELLI, supra laudati librum cit. vidisset: nam heic vidisset omnino pag. 41. *totam vrsæ maioris figuram vna cum telescopicis stellis depictam*, quas tamen egregius vir ideo non telescopicas vocitat, sed potius expresse *NOVAS*, quarum septem in sideris latere visæ Vniti Belgii nomine insignitæ fuerunt. Quod derisor interea cum Cl. WEID-

B

LLRO

**LERO** dicit, esse in firmamento complures eiusmodi telescopicas  
 stellas &c. id pueris potius Hallensibus dicendum fuisset, non  
 viris doctis, non Astronomis, nec iis, qui diutius obseruationibus  
 cœlestibus aduerti, bene sciunt, quæ de his dicendum statuendumue  
 sit, neque mihi, cui hic sermo non est de aliis innumeris stellis, sed de  
**LVDOVICIANA**. Interea euoluat impudentissimus idiota  
**HEVELII** Selenog. in Prol. p. 41. & 63. & quidem ex iussu ma-  
 gni cuiusdam Astronomi, vbi, & adhuc alibi, ceu quidem hic cele-  
 berrimus vir superiori mense scribit, inueniet: *Dass Heuclius die*  
*Sidera P. Rheitæ Vrbanoctauiana, weil er sie zuerst und als*  
*fixe Sterne gesehen / selbst sidera Vladislauica benennet.*

VII. Quod tamen attinet stellarum nouarum in sensu  
 Astronomico talium definitionem, vt autor pag. 240. vo-  
 cat, putarem tali definitionum artifice tanquam physico, qui  
 totus in tentamine suadet aliis, vt res physicas oculis intellectus in-  
 tueantur p. 64. quasi vero huc usque cœci omnes fuissent, suaden-  
 dum esset, vt in posterum regulas 10. **KEILII** in Introduct. ad veram  
 Phys. pag. 6. datas, & a se ipso datum consilium pag. 265. p. 291.  
 respiciat. Vnde nemo non in iuvene confusam inclarescendi ra-  
 tionem & prunum cognoscet, & hominem ipsum ventosissimum,  
 piloso alius spiritu forte afflatum iudicabit.

Sane **TYCHO** qui complures stellarum astronomice noua-  
 rum proprietates ignorauit, illas non potuit definire, nec  
**KEPLERVS** voluit, ad quem iniquus tentator pag. 245. prouo-  
 cat, ob plurimas adhuc circumstantias, ab **HEVELIO**, **KIRCHIO**,  
 c. g. in Miscell. Soc. Boruss. cuius se *Thummig* iste membrum  
 ficit, & si verum fateamur, ob adhuc plures cum diebus de-  
 tegendas proprietates; vnde nil certi etiam num heic ad-  
 ferere possumus cum **Dn. WOLFFIO** posit. IV. eccur censor  
 definire audet stellas astronomice nouas? Vbi saltem ad defi-  
 nitio-

nitiohem hanc prae grandem committit ignorantiam pag. 245. dicens: Daß man schon den Ludwigs Stern in die 4. Monathe obseruirt/ so hätte man wohl keine Ursach/ warum man ihn nicht vor ein beständiges Sternlein halten wolte &c. Sie igitur videtur vel in ea esse opinione, ac si ego stellas novas forte statuerem tales, quæ instar plantarum in agris crescant, vel ille plane non legit TYCHONEM, ad quem prouocat, quando de duratione Nouæ in Cassiopea l. c. p. 299. dicit: Durauit hæc stella per totum annum sequentem, & insuper usque in principium veris anni 1574. quando mense Martii conspici desiit. Quidsi TYCHO telescopium Censoris Anglicanum habuisset mutuum, forte omnino ipsi quemadmodum KIRCHIO l. c. diutius adparuisset, dictaque stellæ si *superis placeat!* vt cum Cauillatore in Actis hisce l. c. loquar, telescopica tantum fuisset.

VIII. Nihilominus censor me erroris incusat in Act. Erudd. l. c. quem tamen non indicat; sed forsitan *motum stellæ* reputat: Quem si verum fatear, ne ipse quidem in cælo tentauit, aut potuit tubo, scilicet suo Anglicano; alias enim indicasset nec se aliorum pennis exornasset. At vero quam frustra se ornauit graculus, Aesopico illo impudentior! Clariss Weidleri obseruationes facit suas, quas ipse eodem, quo beneuole transmisit autor, animo prout petii, in mea epist. p. 13. adsumo, vt veritas cum tempore magis pateat: porto laudati ZUMBACHII dubia profert, quæ ille mihi, iam ante editum censoris impudentissimum scriptum, miserat vna cum Cl. WOLFFII & Cl. HARTSOECKERI modestissimis sententiis: vnde denuo nihil vel a petito meo alienum, vel aliud quicquam meæ sententiæ contrarium video. Nam per totam epistolam meam doctorum virorum auxilium mihi expetii, & nil magis optaui, quam vt veritas magis pateat: quare nemo sanus de me vel cogita-

bit, ac si in his meis obseruationibus paucissimis difficultatibus, toties expositis, motum hunc voluisssem apodictice & simpliciter verum sistere: vbi contra nil verius omnino quam perpetuos motus ex stella hac possemus colligere, si nimirum ipsae obseruationes possent reddi certiores. Verum ibidem mox ipse difficultates enarraui, quæ quoad refractiones possunt occurrere, vbi tamen Alcor a media temonis, talem nullibi passus videtur; quid si porro difficultates in instrumento, quo metimur, in mensurandi ratione cogitemus? Equidem micrometrum Kirchianum debita diligentia, & tantum non ipsas vires humanas superante adhibui; nihilominus in hisce minimis mensurandis distantis fieri quam facillime poterit, vt omnis obseruationis labor a vero paulisper recedat, vel ob oculi constitutionem, vel ob cochlearum debitam adplicationem, vel rite adplicatarum stellæ admotionem, quæ magis semper visa est splendere, quo propior cochleæ accessit &c. Et quia hæc nemine negante quam difficillime euitantur, nec omnia quidem tali micrometro euitari possunt; nemo sanus etiam me erroris cuiusdam, modo ipse vel ex Schegkio, antiquo illo Tubingenfi philosopho vel aliunde verum erroris in demonstrandis veritatibus conceptum habebit, inculcare poterit. Vnde doctissimus Astronomus DOPPELMEYERVS recte scribit, id omne mecum affirmans: Mit Messung der Sterne von kleinen distantien mag es freylich nicht allzurichtig seyn/ es hat Mr. de la HIRE gefunden/ wie die determinirung der kleinen Sterne/ in denen Pleiadibus ( wo ich mich nicht irre ) von derjenigen des RICCOLI ziemlich differiret &c. Nec est vt causas pluribus repetam, breuiter: omnia quæ heic posui in Epistola quoad motum tantummodo problematice adposui, non apodictice.

IX. Ponamus nunc esse stellam hanc minimam, quæ solo tubo cognoscenda sit, sicuti debet; ecurr hanc non ab illo tuborum

borum

borum tempore scriptores allegati obseruarunt? cur nemo aliquid eorum, qui de Telescopicis stellis scripserunt, adnotauit? Cur non FLAMSTEDIUS inter suas nostram in Vrsa maiori 215. stellas refert? quarum nonnullae omnino telescopio debent obseruari? Cur non ipse censor hunc, vel alium quendam adducit autorem? respondeo: quia fortassis olim hisce omnibus non adparuit, vtut non aequè dicendum sit, ac si nouiter succreuerit! Si vero censor dicit, ac si autores *telescopicas stellas* non adeo curate adnotauerint, iterum quaero: cur non a IO. ZACHARIDE, qui *telescopicas stellas fixas* expresse, & ex professo quidem in sola vrsa maiori consignauit p. m. 40. adnotata peraeque sit LVDOVICIANA? Quod si nunc autor hic 1.) *stellas fixas* *haec telescopicas* nihilominus *nouas* vocat, & 2.) constabit certius, illam nullibi fuisse obseruatam inter Alcor & aliam (vbi tentator Hallensis cum suis simul nouam rationem videt, cur adeo anxie scire voluerim, vtrum quis de hac LVDOVICIANA aliquid adnotauerit?) si isthoc euictum; etiam 3.) huc referantur MONTANARI & CASSINI obseruationes notatae dignissimae, quorum ille disparuisse notauit fixas constantis alias adparitionis, hic itidem nouas similes *ante in caelo non visas* detexit. Conf. Transact. Angl. num. 73. p. 2201. imo si 4.) certum est illam stellam nouam in Cassiopea an. 1572. toto suae durationis tempore constitisse immotam, vti TYCHO refert l. c. p. 300. & 303. in eodem prorsus caeli loco instar affixarum stellarum, adeo quidem vt laudatissimus HASSIAE LANDGRAVIUS nullum potuerit longitudinis aut latitudinis motum in istha obseruare, sed hunc ad rectam lineam in altitudinem & profunditatem fieri putauerit in Epist. ad TYCHONEM p. m. 21. & alligat. in mea pag. 6. nemo non exinde poterit colligere LVDOVICIANAM, vtut telescopicam, saltem posse talem esse, qualis laudatus MONTANARIUS obseruasse dicitur. Quare tanto magis

cum Celeb. WOLFFIO optandum hac in re foret, ut qui observationibus rerum caelestium incumbunt, ad istius modi mutationes diligentius attenderent, ut tandem certo constaret corporum mundi totalium ortus & interitus. Tantum etiam abest, ut eiusmodi virorum labores & observationes, quales ego omnino, attestantibus tot viris in LVDOVICIANA nostra grauissimis, tot vigiliarum tadio redemptas adhibui, statim eiusmodi scommatibus, iniuriis & calumniis excipiantur, imo etiam aliorum quasi ludibrio exponantur, quæ sane pestilentissima hominum indoles est! ut potius conferuentur & cum tempore excolantur, ceu ipse alibi *Thummig* iste prætumidus rerum naturalium & astronomicarum infelicissimus tentator, bene suadet in tentamine suo passim, sed iniquissime ipse præstat.

X. Quemadmodum igitur hæc omnia demum hominum labor & tempus certiora reddunt ex ipsius Domini WOLFFII mente: ita nec inconueniens est, nec minus necessarium, si in tanto stellarum numero sideri cuidam, quod vel nouiter detectum, vel nondum denominatum, nobis commodum alibi monstrat, uti ab initio dictum, & forte magis adhuc promittit, certum aliquod nomen imponimus & id saltem maioris distinctionis causa. Vnde omnino *superis placebit*, ut fidus hoc nouo nomine LVDOVICIANVM vocari queat; licet eius phænomena nondum satis comperta sint, licet Cauillatori Hallensi in Act. Erudd. l. c. non placeat, qui alias præ nimia theoriarum copia adeo tumidus est, ut omnibus plane omnis intelligentiæ humanæ clauem præferre, scilicet ut retro rusticus arma gerit, posse sibi persuadeat, conf. Tentam. pag. 44. Inanes etiam & omni risu dignæ sunt hominis istius curæ, ac si eiusmodi nouis nominibus Astronomiæ difficultates augeantur, si telescopicis stellis velimus certa adsignare nomina, præfer-

sertim illis in locis, vbi nullus planeta obtineat. Verum inania hæc sunt: nam dantur & alia causa, nec soli planetae Astronomiam perficiunt, nec eiusmodi nomina istius difficultates augent: potest enim adiunctus Hallensis LVDOVICIANVM sidus suis monstrare in posterum, vel intactum relinquere, vbi forte capitum rupturam timet, imo istud penitus in suis cauillatoriis scriptis tacere. Et sicuti iam olim a IO. ZACHARIDE & laudato BORELLO septem stellæ nouæ TELESCOPICAE in hoc ipso imo ab HEVELIO alibi ceu dictum, sidere vrsæ maioris *Belgii vni* nomine insignita fuerunt: ita & ego nihil ab arte alienum feci, si prædictum sidus ob notabilem loci angustiam & alia commoda, superius ex parte adducta, vocare volui LVDOVICIANVM, siue nunc rideat aliquis Hallensium Adiunctus, vel idiota alius, siue fleat. Apage interea inutiles rixæ, disputationes virulentæ, odia internecina, laniena bonæ famæ & honoris! potius ad templum scientiarum & artium aduolitent omnes indefessi, vt augeantur hæc magis, quam vt eiusmodi impudentissimis ludibriis deprimantur. Quis enim rem tam innocentem, stellam puta LVDOVICIANAM, quam nunc omnes possunt videre, vllò scommate dignam credat? quis neget compluræ cælorum phænomena, quæ paucissimi viderunt, facili negotio posse reprehendi, dubia reddi? nonne sic tandem hoc pestilentissimo derisorum genere augmenta Astronomiæ, indies noua commonstrantis, retinentur? Nonne nefandus hic seculoque pudendus hominum genius est? qui, dum non omnia soli in vastissimo hoc cælorum ambitu possunt intueri, sibi nihilominus omnem attribuunt sapientiam, hancque vni saltem loco & Academiæ adscribant! qui sibi *decidendi ius*, vel quasi! & *dictaturam omnem* arrogant. Vti vero eius generis virulentos ausus boni detestantur ex merito, præsertim in iuuenibus mox conspicuos, qui tantum aliorum sunt spumilingones, sublingones: ita Thum-  
mikum

migum istum inter Hallenses A. P. O. nouum rerum naturalium tentatorem in hac re astronomica clare tam profita, quam nunc clarissime! exposita ne dignum quidem vltiori responso æstimo, spe fretus certissima fore, vt, si forte adhuc plura ex aliorum ore excepit sputamenta, eaque more suorum vna cum sputaliciis scommatibus expuet, quilibet rem ex æquitate æstimet & ipse pro virili respondeat meque defendat. Quod superest sciat talem veritatis indagandæ morem, vti ipse in præfatione tentaminis ponit, in nostra Vniuersitate minime valere, nec in aliis, vbi-  
cunque talis ventosissimorum homuncionum genius non obtinet, nec vllibi inter cultiores gentes probari.

*Err. pag. 7. lin. 18. Venedorum.*



130 B.5

1118

